DE
DVOBVS SACELLIS
EXORNATIS, DOTATISQ.
A VIRO CLARISSIMO
D. IVLIO BENIGNO

AD

ILLVSTR.MVM ET REVER.MVM D.
IVLIVM MONTERENTIVM
ALMAE VRBIS
GVBERNATOREM.

IOSEPHI CASTALIONIS I.C. ROMANI

DIMETRIA.

ROMAE, Apud Iacobum Mascardum.
MDCXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. S. Pal. Apost.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Damianus à Fonseca Mag. & Reuerendissimi P. Fr. Ludouici Ystella Sacri Pal. Apost. Mag. socius, Ord. Præd.

ILLVSTRISSIMO, ET REVER.MO PRAESVLI D. IVLIO MONTERENTIO ALMAE VRBIS GVBERNATORI.

IOSEPHVS CASTALIO S.P.D.

CVM Iulio Benigno singularis prudentiæ, pietatisq. viro vetus mihi necessitudo intercedit, etsi eius excellentem doctrinam, fidem, animiq. magnitudinem semper suspexi, tamen adeo in eius virtutum admirationem duo illa sacella, quæ nuper magnificentissime ornauit, me pertraxerunt, vt ad scribendum de studio, religione, & diuino eius cultu animum vltro appulerim. quare ædiculas, alteram in honorem S. Ioannis Apo-

Apoſtoli in templo Beatiſſimæ virginis matris Dei cognomento Pacis. alteram in honorem Sanctorũ Dominici, Marci, & Caroli in eccleſia Sanctæ Cæciliæ ad Montem Iordanum exornatas, reditibusq. attributis ad Miſſarum ſacrificia peragenda dotatas dimetris ſum complexus. Equidem amicitiæ nihil tribui, veritatem pro ingenij mei tenuitate leuiter repræſentaui. idq. non eo quidem conſilio a me ſuſceptum eſt, vt amico de me ſemper optime merito gratiam vel referrem, vel ab eo inirem. ſed vt tanto viri in omni virtutum genere abſolutiſſimi exemplo vtcunque a me propoſito, alios ad imitandum excitarem. exteriſq. præſertim tranſalpinis, Angliſq. apud quos inſimulamur, & iniuria vapulamus, aliquando aperirem, eſſe Romæ Prælatos iſta fide, caritate, religione, liberalitate, & magnificentia,

ficentia, qui caſte, pieq. Deum colant; diuitias haud magni faciant, pauperes ſuſtentent, fidem non fallant, oppreſſos ſubleuent, laborantibus opitulentur, implorantibus adſint, Sedi Apoſtolicæ, Sanctæq. Romanæ Eccleſiæ adiumento, & ornamento ſint. Habes Illuſtriſſime Domine conſilium meum, quamobrem carmen condiderim. Reliquum eſt, vt doceam, cur inſcriptum tibi ediderim. Primum me, vt ita facerem, impulit mutua inter vos beneuolentia. Noui enim quanti Te Benignus faciat. quantiq. viciſsim à Te ipſe fiat. Deinde morum ſimilitudo, par ſtudium, pietas Tua in Deum eximia, in Principem veneratio & fides, atque ad eius nutum imperatis faciendis alacris propenſio. In Vrbe regenda, & gubernanda ſumma vigilantia, mira iuſtitia, ſingularis ſapientia. Poſtremo Pompeij

Paſqualini Canonici ſanctæ Mariæ Maioris viri morum, & litterarum laude ſpectabilis propinqui Tui hereditaria, in me beneuolentia: denique propenſa tua in venerabilem Oratorij Congregationem voluntas; de cuius ipſe Inſtitutis religioſiſsimis anno ſuperiore Dimetriam edidi, quod carminis genus cum Eccleſiaſticum; tum percommodum eſt ad dictiones nonnullas, quas non facile admitteret Heroicum, per pedum ſolutiones recipiendas: Feceris ab humanitate tua non alienum, ſi quidquid officij eſt hoc mei, humaniter accipies, meq. amplitudinis tuæ ſtudioſiſsimum diliges: Vale Romæ viij. Kal. Septembris MDCXIII.

IOSEPHI CASTALIONIS
DIMETRIA

De Sacello in honorem S. Ioannis Apoſtoli in Eccleſia B. Mariæ cognomento Pacis exornato à R.mo D. IVLIO BENIGNO in Almæ Vrbis Gymnaſio Primario iuris Profeſſore, Presbytero Rom. ſacræ Conſiſtorialis Aulæ, & Pauperum Aduocato, Prothonotario Apoſtolico, Sacrarum Congregationum Boni regiminis, & Sgrauaminum Prælato.

MATRIS Dei ſanctiſſimæ
Imaginem ter inclitam
Miraculorum gloria
Summus ſacrauit Pontifex;
Qui quartus eius nominis
Sixtus vocatus traditur,
Templumq. conſtruxit nouum
Et dedicauit Virgini,
Temploq. Pacis indidit
Nomen, quod inter Principes
Eſſent fideles fœdera
Pacis per illam condita.
Exinde in aedem ſupplices

A solis ortu ad Vesperam
Matres, viriq. confluunt.
Et vota quisque concipit.
Regina cæli laudibus
Extollitur Mortalium.
Romana plebs, & Conuenæ
Colunt frequentes singulis
Templum diebus nobile.
Hic sacra fiunt Mystica
Aras per omnes, & Deo
Offert sacerdos Hostiam.
Thelo sub alto vir Pius
Matriq. deuotus Dei,
Iurisq. consultissimus
Gentis Benignæ Iulius
Lumen, decus Quiritium,
Læui Sacellum marmore
Signisq. comptum plurimis
Censuq. diues annuo
Fecit Ioanni Apostolo.
Spectatur hic spirans pater
Iacobus, atq. litteris
Fit aureis notissimus
Qui vixerit, quæ gesserit
Domi, forisq. amabilis
Legum peritus optimus.

Parens & ipsa noscitur
Camilla, quæ maioribus
Prognata fertur Lentulis,
Prudens, pudensq. femina.
Soluit parentibus suis
Vitæ breuis pro munere,
Vitam dedissent qui prius,
Famam perennem nominis,
Interminamq. gloriam
Diuina per suffragia
Gratus, memorq. filius.
Tales creasse liberos,
Atque educasse quis neget
Sibi esse iucundissimum?
Serena necnon Iulij
Frons sculpta Phidiæ manu
Quæ possit argui sagax
Cor, atque mores indicat
Pios in alto pectore.
Nati, patrisq. imagines
Quot excitabit posteros
Virtutis ad fastigium?
Insigne Delphin patrium,
Et stella Cæli in vertice
Salubritatis, atque opis
Perhibetur esse Symbolum.

Seruasse lætatur reos
Calumnijs obnoxios.
Opemq. ferre Pauperi
Studet Benignus Iulius,
Amator humani gregis,
Et acer osor criminis,
Amabilissimus Deo.
Altari adhæret imminens
Signum, quod ars coloribus
Apellis æmula extulit.
Beatus illic cernitur
Apostolus, qualis fuit
Arcana cum vidit Dei
Correptus almo spiritu,
Iussu exularet impij
Cum principis pius senex
Pathmo mari circumflua.
An qualis à ieiunio
Trium dierum dicitur
In monte passis brachijs
Deum rogasse, vt Spiritum
Præberet almum pectori.
Quo posset orsa exponere
Euangeli sublimia.
Micabat aether ignibus
Obductus atris nubibus

Tonans,

Tonans, coruſcans, fulminans.
Fragore tellus ſubſilit.
Dei miniſter Angelus
Ab arce progreſſus poli
Diuina fert exordia.
Demittit haec inter genu,
Et territus ſtupet Comes.
Claro minor non Zeuxide
Ioſephus Arpinas opus,
Noſtrum tumet quo ſaeculum,
Abſoluit admirabile.
Tellus lapillis lucidis
Operta calcatur pedum
Frequentibus veſtigijs.
Quis explicare ſingula
Queat ſacelli lumina?
Tales honores exhibet
Sancto patrono Iulius
In æde ſemper Virginis
Matris Dei ſanctiſſimæ.

DE SACELLO IN ECCLESIA S.Cæciliæ ad Montem Iordanum Exornato ab eodem.

QVid hinc beatæ Martyris
Cæciliæ in ædem me rapit
Iordanis ad montem ſitam?
Incomparabilis fides,
Pietaſq. Iulij excitat
Me rurſus, vti ediſſeram,
Quæ olim æmulentur poſteri,
Dominicus a Marco genus
Quiritium qui duceret,
Frugi vir, atque induſtrius,
Deiq. metuens, & probus
Rem mercimonijs catus,
Opeſq. comparauerat.
Huic moribus diſpar fuit
Germanus, & gratus parum.
Quare ſub horam funeris
Fidem ſecutus Iulij
Teſtatur, vt fratri annuam
Heres daret pecuniam,
Aegre vnde viueret miſer.
Atque arbitratu Iulij
Sancto Sacellum Carolo

Seu

Seu Dominico iuſſit ſtrui.
O quidquid eſt mortalium,
Haurite pronis auribus,
Nil tale priſcis ſæculis
Vſu quod vnquam venerit.
Fructus bonorum percipi
A fratre defuncti ſinit
Heres, ſibiq. inde excipit
Præter moleſtiam nihil.
Lites, labores, tædia
Vltro ſubit; ſubireque
Maſſarium iubet ſuum,
Qui tanta per veſtigia
Aſpirat ad præconia
Virtutis, atque gloriæ.
At eſſe rem non admodum
Mirabilem contemnere
Plerumque dices commoda.
Quid ſi docebimus ſuum
Aes erogaſſe Iulium,
Legata vt illico pia
Sanctorum honori cederent.
Suo periculo, & ſuis
Ponit ſacellum ſumptibus,
Dicatq. ſanctis Carolo,
Marcoq. nec non Dominico.

Dotatq. & instruit pius.
Hiberiæ lux maxima
Dominicus auctor Ordinis,
Quem Prædicatorum vocant.
Latus Sacelli dexterum,
Euangelista, cui Leo
Adstat, sinistrum possidet.
Aduersa frons amplissimam
Præfert Beati Imaginem,
Quem nuper inter Cælites
Summus sacerdos rettulit
Paulus Pater Burghesius.
In veste cærula Angelus
Crucem reclinem subijcit,
Et corpus impactum cruci
Exangue Domini, atque indicat
Redemptionis vulnera.
Immota sanctus lumina
Defixus obtutu tenet
Ceruice prona Carolus.
Fit iam Sacello res sacra.
Votiua iam pendet nouo
Saxo tabella supplicum,
Quibus vocatus adfuit.
Hic & Deo mysteria
Sacris amictus vestibus

Libat

Libat ſacerdos Iulius,
Sanctumq. ad aram Carolum
Cælo receptum ſuſpicit,
Veneranſq. adorat, & colit
Deuotus eius gloriæ.
Signanda memori lux nota
Ter quinta Septembris feret
Feſtum quotannis, qua nouis
Paratibus reſplenduit
Primum Sacelli dignitas.
At quarta cum recurrerit
Dies Nouembris Carolo
Dicata ſancto, frondibus
Feſtis quotannis induet,
Tapetibusq. ſe aureis
Paries nitens eccleſiæ.
Halare ture limina,
Lucere ſacræ geſtiet
Aedis lacunar cæreis.
Tales in vſus erogat
Vltro bonus peculium,
Ac templa ſumptu regio
Deo ſuperba poneret,
Eſſent opes ſi regiæ,
Sacella qui de marmore
Cæleſtium laudi ſtruit

Diuina ſpectans præmia.
Hereditatem his artibus
Creuit Benignus, nec bonis
Creuit relictis abſtinens.
Libens, volens diſpendia
Agnouit euidentia.
O ſingulare pectoris
Incomparabilis decus.
Montes habet aureos
Benignus, ad pecuniam
Animum appuliſſet ſi ſemel.
Reſponſa nec venalia
Proſtare paſſim pertulit,
Acerbius nec exigit,
Quodcunque debetur ſibi.
Remittit inde commodus
Pleriſque flagitantibus.
Contemptor auri diuidit
Opes egentibus ſuas,
Cæloq. theſauros locat.
Famæq. amici conſulens
Monumenta manſuris parat
Inſcripta Carminum notis;
Quas nulla deleat dies.
Ac ſiqua Purgatorio
Luuntur igne crimina,

Pro

Pro familiaribus Deo
Agenda Missarum sacra
Altare curat ad Dei,
Vt eximantur ignibus
Animæ sodalium statim.
In astra sic conscenditur.
His moribus cælum patet:
His artibus perennia
Laudis parantur præmia.
Hæc lingua mortalium, Deum
Totis celebrat lucibus,
Nocentium qui munera
Offensus odit fraudibus.

L A V S D E O.

INSCRIPTIO PARIETI
inserta ad dexteram Sacelli
Sancti Ioannis Apostoli, in Ecclesia
S. Mariæ de Pace.

Deo Optimo Maximo.

Iacobo Benigno I. C.
Omni doctrinæ genere ac virtutis
Ornatissimo
Magistratibus, & Vrbanis, & externis
Summa cum laude perfuncto
Populis, & clientibus vsquequaque
Carissimo
Obijt annum agens xlviij. iv. Id. Ianuarij
CIↃ. IↃ. *L I.*
Camillæ Adamiæ Matronæ
Spectatissimæ
Quæ ex prisca & nobili Lentulorum
Gente orta
Antiquam probitatem atq. animi
Magnitudinem mirifice retulit
Obijt annum agens lxxi. xvij. Kal. Maias
CIↃ. IↃ. *LXXXVIII.*

Ad ſiniſtram.

D. O. M.

Iulius Benignus Prothon. Apoſt.
Sacræ Conſiſtorialis Aulæ
Et pauperum Aduocatus
Inſtaurato S. Ioannis Euangeliſtæ
Tutelaris ſui Sacello
Perpetuoq. cenſu
Ad rem diuinam quotidie
Sacrum Anniuerſarium quotannis
Pro animæ ſuæ ſalute
Faciendum attributo
Parentibus optimis ſibiq.
Poſuit
Anno Sal. CIↃ. IↃCXI.
Aetatis ſuæ L X I.
Obijt.

Exempla inſcriptionum,

Quæ ſunt in Eccleſia ſanctæ Cæciliæ ad Montem Iordanum, ad dexeteram Altaris Sacelli Sancti Dominici in marmore parieti inſerto.

DOMINICO. DE. MARCHIS
ROMANO
RARAE. OMNINO. FIDEI
PROBITATIS. ATQVE
INDVSTRIAE. VIRO
IMMATVRA. MORTE
PRAEREPTO
ANNO. AETATIS. XXXVIII
SALVTIS. CIↃ. IↃ. CXI
PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS

Ad Siniſtram.

IVLIVS . BENIGNVS
EX. TESTAMENTO. HERES
ORNATO. DICATOQ. SACELLO
CENSVQ. AD. REM. DIVINAM
TER. QVOTHEBDOMADIS
FACIENDAM
IVSSV. TESTATORIS. ATTRIBVTO
AMICVS. VERE. AMICO
QVEM. VIVVM. ET. SALVVM
VELLET. POSVIT

Humi in lapide ante Sacellum ſtrato.

QVEM. LEGIS. IN. PARIETE
HIC. IACET. IN. PVLVERE